



1. R  
2. R  
3. R  
4. R  
5. R  
6. R  
7. R  
8. R  
9. R  
10. R  
11. R  
12. R  
13. R  
14. R  
15. R  
16. R  
17. R



1. Pister: De tumoribus crystallis peroris 1756  
2. Piller: De febre quartana, Intern. Volte 1733  
3. Piss: De virtutis milionis gravidarum partus et pauperis. 1780  
4. Podenborg: De carice Peruviana. 1763.  
5. Pöveres: De foetu perfecto 1700.  
6. Pöderer: De scabie 1710  
7. Pöderer: De natura folii 1767 3  
8. Proger: De lithiorum suppressione 1734.  
9. Rosa: De calculo vesicali 1723  
10. Rose: De febri quartana continua 1758.  
11. Rossel: De ovo seu passione galacteae cephalae spacie. 1755.  
12. Roth: De ferundatione absque consuetudine viri 1748.  
13. Roth: De liquore Piritardii 1748  
14. Rouly: De singulari reni calculo 1772.  
15. Rousset: De indigestionibus. 1779.  
16. Roussey: De fumaria vulgari 1779.  
17. Rouhland: De partu praeter naturali ac Nfficii ob  
providentiam fūnioli umbilicalis postea capat.  
1778.





Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

D E

VITIIS MITIONIS  
GRAVIDARUM PARTURIENTIUM

ATQUE

PUERPERARUM

QUAM

CONSENTIENTE

ILLUSTRI FACULTATE MEDICA

PRO LICENTIA  
GRADUM MEDICINÆ DOCTORIS

LEGITIME IMPETRANDI

DIE XXIX. NOVEMBRI A. MDCCCLXXX.

SOLEMNITER DEFENDET

JOHANNES CONRADUS RISS  
ARGENTINENSIS.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI

Excudebat JOH. HENRICUS HEITZ, Academice Typ.




ILLUSTRI  
LIBERALITATIS  
SCHENCKBECHERIANÆ  
DISPENSATORUM  
COLLEGIO  
VIRIS  
DE RE PUBLICA ET LITTERARIA  
IMMORTALITER MERITIS  
IN GRATISSIONI ANIMI TESTIMONIUM  
HASCE PAGELLAS

D. D. D.

AUCTOR.





## INTROITUS.



E Specimine Academico cogitans diu dubius  
hærebam, quanquam materiem pertractan-  
dam mihi sumerem; si enim verum est,  
nil nostris temporibus dici, quod non jam  
dictum fit, id præcipue de Medicinæ tyronibus valebit,  
adeoque iidem Legibus Academicis satisfacturi, Disserta-  
tionem Inauguralem conscribendo dicta repetere omnino  
coguntur. Quid enim Medicus tyro novi in Medicina  
proferret? sufficienti quippe praxi destitutus nullum mor-  
bum practice tractare valebit; ipsa quoque theoria ad  
tantum jam producta culmen est, ut nostra nunc felici  
ætate indefessis tot tantorumque Virorum laboribus tam  
eximio fulgeat splendore, ut eidem vix amplius quid præ-  
clarius accedere possit. Hinc a veterum Medicorum HIP-  
POCRATIS præprimis ac GALENI ævo ad nostra usque tem-  
pora plura utique dicta fuere, quæ antiquitati vel prorsus

A 2

incognita, vel nondum satis intellecta fuerunt, sic tanta cepit incrementa Ars Medica; sed id quoque nemo inficias ibit, multa hodiernis temporibus pro novis venditari, tanquam inaudita Philiatris in veterum scriptis parum versatis obtrudi, quæ tamen in iisdem jam annotata reperiuntur. Evidem Dissertationem defendendam hicce exhibeo de Mictionis vitiis, quæ in gravidis præcipue, parturientibus atque puerperis non raro occurrere solent, nil quidem novi affero, ast ex scriptis optimorum Auctorum, quæcunque hac de materia reperire potui, collegi, sicque brevi compendio tradidi, quæ non nisi majori labore atque longiori tempore ex dictis Scriptoribus erui valent; & ita fortassis & hicce meus labor academicus non plane inutilis erit; euidem eundem B. L. dijudicandum relinquo, meque ejusdem humanitati atque benevolentiae etiam atque etiam commendando.

## §. I.

**U**ti pro varia ætate, temperamento, irritabilitatis atque sensibilitatis gradu, pro variis quoque, quæ homines pertractare solent, opificiis, variis morbi surgere solent, & ita non omnes iisdem morbis obnoxii sunt, sic quoque præcipue ratione sexus, magna exoritur morborum differentia. Fœmina quippe à Summo Creatore destinata, ut concipiat, foetum in utero gerat, eundem legitimo termino excludat, nutriatque, ratione omnium harum functio-



num, quando eadem non rite peraguntur, variis quoque pertinacissimis & non raro deleteriis morbis præ viro afferi debet; hanc veritatem suo jam tempore perspectam habuit DEMOCRITUS <sup>1)</sup>, qui uterum in litteris ad HIPPOCRATEM datis sexcentarum in muliere ærumnarum auctorem appellavit. Quem enim rerum peritum latet, quam miræ in corpore foemineo contingere soleant mutationes, quando certo incrementi tempore pubes excrescit, mammæ sororiari incipiunt, sanguis alias majori copia ad inferiores extremitates prolongandas, & ita ad incrementum corporis promovendum delatus, nunc cum vasa illa non adeo facile amplius cedant, neque se prolongari patientur, vehementi impetu ad vasa uterina ruit, eadem distendit, ibidem accumulatur, tandemque nimia in copia collectus, facta Anastomosi, per sinum muliebrem depluit? sic virgo viro redditur matura, quum tantam in matricis vasis gerat sanguinis molem, quo non solum suum corpus sed & foetum nutrire valeat. Quantis autem tum temporis non raro puella premitur calamitatibus? quando varia adsunt obstacula, quo minus sanguis nimia in copia ibidem subsistens vasorum orificia superare neque ob hanc rationem ex sinu materno effluere valet; quando porro justo tempore exire impeditur, vel quando quoque, nimium debilitatis vasculis, majori copia excernitur, quam vires corporis id ferre possint. Quam insignem & subitaneam mutationem experitur foemina illo.

---

1) HIPPOCR. Edid. FOES. Sect. VIII. p. 1289.

tempore, quo Veneris oestro correpta virili semine adimpletur, atque concipit? quantisne tunc affici potest malis à sola graviditate oriundis, à sanguine menstruo retento, ab ipsa foetus mole atque motu &c.? Quam horrenda non raro scena obstetricanti sub ipsis partus doloribus sece offert, quando ob pelvis angustiam, majorem foetus molem, situm &c. irritis omnibus conaminibus, prolem vivum per naturales vias extrahere nequit, imo negotium hocce tantis sèpissime prematur difficultatibus, ut & foetus cum ipsa matre tandem eripiatur è vivis? Quam acerbis sèpius Symptomatis, Lipothymia, Sincope, Convulsionibus &c. corripitur puerpera statim à partu? Quantane mala imminent foeminæ ab utero inflammato, nimio vel plane impedito lochiorum fluxu & sic porro? Quam deploranda interdum lac nunc ad mammas delatum, stagnatione, coagulatione, dolore inflammatory, suppuratione, scirrho atque inevitabili cancro post sece trahit symptomata? & quantis præcipue Urinaria Vesica graviditatis, partus atque puerperii tempore malis obnoxia? de his ut ulterius nunc differam, thematis ratio postulat.

## §. II.

### *De Vitiis Mictionis durante graviditate.*

Est in regione hypogastrica retro ossium pubis arcum, receptaculum illud membranaceum, lotio in renibus secreto atque per vias urinarias delato, recipiendo destina-

tum; anterius ossibus pubis, posterius matrice circumscriptum: robustis admodum gaudet tunicis, quarum externa peritonaei propago, summitatem & faciem posteriorem investit, ejus autem cellulosum textum anteriora obducit; sequitur muscularis, fibris motricibus tam longitudinalibus, quam obliquis fereque transversis, non nisi in carnosis vesicis accuratius videndis<sup>2)</sup>, constans; majus adhuc robur eidem conciliat subsequens nervea, quam tandem excipit interna nonnullis villosa dicta. Vesica haec urinaria, quamdiu vacua est, tota retro pubis arcum hæret in cadavere ægre conspicienda, quum autem lotio turget, supra pubis ossa assurgit, ut statim in conspectum veniat, & in vivis nuda manu quoque ibidem tangi queat. Quod ad vesicæ sphincterem attinet, ille plane imaginarius est, fibræ quippe ad collum vesicæ appartenentes nequaquam sphincteris officio fungi possunt; de qua re conferatur Cl. PFAEHLERI *Dissertatio de calculis vesicæ urinariae cysticis.* Vesica haec urinaria in foeminis alias multis ex causis etiam in statu graviditatis variis morbosis affectionibus obnoxia est, à calculis, hæmorrhoidibus, variis spasmorum causis, unde tranquilla alias graviditas turbatur, sæpeque infasta etiam & funesta redditur. SWIENTIUS<sup>3)</sup> gravissimæ in grida Dysuria meminit, quam

2) Hæ fibræ omnino aedesse debent, dum sola Diaphragmatis pressio ad expellendam urinam non sufficiat, quippe quarum contractione Diaphragmatis actio adjuverur.

3) *Comment. in BOERH. Aphor. T. IV. p. 477.*

aliquot post horas sequebatur partis superioris pudendi dolor atque tumor; perpetuo erecta sedere cogebatur foemina, validum simul sensit dolorem circa renem sinistrum, aliquot septimanis elapsis, album pus eminxit cum levamine subito doloris circa renem & finito quinto graviditatis mense factum mortuum excludebat; quæque igitur Dysuria ab abscessu in renibus facto cum copioso urinæ purulentæ effluxu originem suum trahebat. VAN DOEVEREN <sup>4)</sup> mirabilem sane casum de muliere Dysuria laborante refert; en ejus verba: *Fœmina circa tertium graviditatis mensem gravissimis regionis lumbaris corripiebatur doloribus, cum maxima urinæ emitendæ difficultate conjunctis; omnia salutaris artis conamina parum succedebant, ut potius omnia in pejus ruerent, mulierque circa medium graviditatis terminum fatu cederet: secto cadavere vesica urinaria maxime lotio turgida ad umbilici altitudinem ascendebat, in dextro abdominis latere apparebat tumor oblongus, mollis, qui formabatur à renis dextri membranis externis, cuius tota interior substantia suppuratione erat consumpta.* Hæc itaque urinæ retentio & immanis vesicæ distensio à renis dextri consumtione derivanda lethalis fuit foeminæ. Nobis autem hicce præprimis illæ causæ, quæ cum uteri gravi statu atque conditione connexæ sunt, considerandæ veniunt.

Mala etenim graviditatis tempore lotii receptaculum affluentia non raro ab utero derivanda esse, nemo non videt,

---

<sup>4)</sup> Oly. Acad. Cap. VII.

videt, qui varium uteri situm durante præcipue graviditate perpendit. Hæret uterus vesicam inter atque intestinum rectum in infimo abdominis loco pelvi dicto; superior ejus pars nullibi adhæret, inferior autem & imprimis ejus collum jungitur antrorum vesicæ, retrorsum ope ligamentorum posteriorum intestino recto, lateraliter autem per ligamenta rotunda firmiter alligatur inguinibus; his mediantibus vinculis validis uterus in hac sede sua naturali detinetur firmiter, ne adeo facile sursum, deorsum, aut lateraliter se moveri queat. Licet autem uterus prædictis partibus firmiter adhæreat, ejus tamen non impeditur extensio & dilatatio, sed tempore graviditatis, omnibus rite constitutis, libere pro necessitate ampliari potest. Uterus quippe gravidus à foetu intus urgente distenditur, suo fundo sensim sensimque in abdomen ascendit, viscera circumiacentia premit, e situ suo naturali removet, & quidem tanto plus, quo majus spatium in abdome occupat. Præter alia autem mala, nauseam, vomitus, animi deliquia, vertiginem, disponeam &c., quæ uterus gravidus inducere solet, frequentius quoque urinaria vesica proxime eidem adjacens vario modo, & quidem eo magis, quo magis matrix à situ suo naturali recedit, pessime affici debet. Pressa etenim vesica molestos urinæ stimulos fert, quibus vel crebrius excernatur vel levi Diaphragmatis motu aucto per nifus, tussim aliasque causas involuntarie profluat; dum arctioribus comprehensa limitibus vesica dilatari nequit, ad majorem lotii copiam uti alias ca-

B

piendam; ipso quoque sæpius vesicæ ostio ad os pubis, sub quo urethra fertur, compresso, molesta sæpe Dysuria graviorique malo Ischuria nascitur <sup>5)</sup>.

### §. III.

In universum negata lotii, quod intra ejusdem receptaculum continetur, excretio Auctoribus Ischuria dicitur, diversas vero hujus excretionis læsiones distinguere jubent Pathologi. Mox enim urina expellitur, ast non cum consueta jucunditate atque facilitate, sed molestia potius haud levi; mox magnis cum nixibus guttatum modo prodit; mox autem lotio expellendo via plane præclusa est; inde *Dysuria*, *Stranguria*, & *Ischuria* nascuntur <sup>6)</sup>; quæ quidem mictionis vitia, cum tantum modo ejusdem mali varii sint gradus, ex iisdem tamen causis proficiuntur, sub voce Ischuriæ hic comprehendere licebit. *Incontinentia* autem *urinæ*, malum priori oppositum, quando lotium in cavo vesicæ retineri nequit, sed citra voluntatem sponte de urethra elabitur. Non in omnibus autem gravidis, neque omni graviditatis tempore hæc mala apparere, experientia docet, ideo in causas inquirendum, quæ hos morbos producunt. Pro vario quidem graviditatis tempore circa finem præcipue quarti mensis sphincter vesicæ compressus difficultatem urinæ interdumque plenariam ejus suppressionem inducit; quinto tandem mense

<sup>5)</sup> Cf. SMELLIE *Traité des Accouchemens* p. 144.

<sup>6)</sup> GAUBIUS *Inst. Pathol.* §. 810. & seq.

uterus grandescens exque pelvis angustiis emergens, si margine ossium pubis atque ileum sustentatur, vesicam comprimere cessat; interim non negandum, quod quoque ultimis gestationis mensibus hæc mala accidere possint, quando caput foetus magis in pelvem demittitur & vesica sic comprimitur, ut angulum faciat cum suo collo <sup>7)</sup>, aut si altius posita fundo suo extra pelvis cavum, collo vero retro ossium pubis arcum hæreat, vel quoque quando uteri collum profundius in vaginam descendit. Pro vario nunc compressionis loco mox Ischuria, mox urinæ Incontinentia orietur: quodsi enim ab urgente ute-  
ro collum vesicæ comprimitur, Ischuria, si ipsius solummodo fundus, ita ut liber maneat collum, Incontinentia sequitur urinæ, quæ quoque ultimo graviditatis tempore non raro induci solet <sup>8)</sup>; quodsi autem vesica ita deprimitur, uti mox dictum, ut cum suo collo angulum faciat, impeditur liber urinæ exitus, pars urinæ in suo ca-  
vo remanens & mora ac stagnatione acrior reddita, pessi-  
mam inducit Stranguriam <sup>9)</sup>.

#### §. IV.

Quod autem una præ aliis gravida his corripiatur ad-  
fectionibus præprimis culpanda videtur vesica inter ossa

7) SMELLIE l. c. p. 144.

8) Cf. FRIED *Anfangsgründe der Geburtshülfe* §. 124, §. 129.

9) SWIETEN. l. c. T. IV. p. 177. MAURICEAU *Traité des malades de femmes grosses* L. I. Chap. XV. p. 139.

pubis ac uterum sic disposita, ut obtusus ejusdem vertex  
vaginæ insideat, fundus autem opponatur partim vaginæ,  
partim longe altius in virginibus ascendat<sup>10)</sup>; quilibet et-  
enim, rebus sic dispositis, facile concedet, talem uteri  
statum hisce molestiis procreandis præcipue aptum esse;  
crescente enim sensim sensimque uteri mole, pelvis cavo  
nunc repleto, partes hic contentæ premuntur, & quidem  
maxime tunc, quando placenta non uteri fundo sed poti-  
tius ejusdem cervicis lateribus aut quoque ipsi orificio ad-  
hæret; sic enim tumor oritur inferior, qui col'o vesicæ  
contiguus id comprimit, inflammat, liberum urinæ ef-  
fluxum impedit, sic pessimam Ischuriā nullis non raro  
remediis fugandam inducit, donec grandescens uterus  
ex pelvis cavitate assurgens, mole sua ejusdem lateribus  
insideat.

An non quoque annotante SABATIER<sup>11)</sup> situs uteri  
lateralis<sup>12)</sup> idem malum producere valebit? hujus senten-

10) HALLER *Notæ ad Præl. Bærh.* §. 366. Nota 6.

11) *Abhandlung der Königl. Akademie der Chirurgie in Paris*  
T. I. p. 388.

12) Situm uteri lateralem, quem plures in dubium vocant, revera  
non raro existere posse, suadet ejusdem pars major & gravior, li-  
ber atque solutus, qui parti sue acuminatae non diu insistere potest,  
quoniam huc vel illuc inclinet, quum ligamenta præcipue ob facul-  
tatem quam habent extensivam facile cedere & ita laxari possint;  
suadet & hoc placenta ad latus uteri collum inter atque fundum  
adhæscens, quæ eundem utique suo pondere lateraliter premere  
debet; ideo & SMELLIE I. c. ab hac placentæ lateralī adhæscen-

tiæ est RUVSCHIUS <sup>13)</sup>, qui in mulieribus de dolore hy-  
pogastræ, mingendi desiderio continuo, & conatu expel-  
lendi frequentissimo conquerentibus, nonnunquam dignis  
exploravit, uterum præter naturam in hoc vel illud  
latus torqueri, situmque naturalem mutare; hincque as-  
serit, uteri situ pverlo mictionem non satis expeditam  
esse posse, quatenus enim os uteri in hoc vel illud latus  
contrahitur, eatenus quoque os vesicæ sequitur, utpote  
arcto nexu cohærentia. Id autem minus bene negare vi-  
detur MORGAGNIUS <sup>14)</sup>, qui suam quidem sententiam Ruy-  
schianæ adversam propria quoque experientia stabilire an-  
nititur, & iconem à RUVSCHIO delineatam ipsius asser-  
tum ex eo non probare contendit, quod illa eam annexæ  
vaginæ partem, quacum arcte urethræ initium cohæret,  
sic inclinatam ostendat, ut mictionis incommoda inde re-  
petenda essent; cum autem non solum experientia sed &  
ipsa ratio pro RUVSCHII sententia stet, ego saltem eidem  
subscribere mallem.

## §. V.

Non minus hujus mali incusandus erit uterus minori  
gradu prolapsus, ita ut pars ejus inferior infra pelvim di-  
lapsa in vaginam corrugatam intrudatur; ita enim firmiter

---

tia retentionem urinæ recte derivat. Cf. & DEVENTER *Obs. Chirurg.* C. XI. p. 46.

<sup>13)</sup> *Obs. Anat. Chirurg.* 88.

<sup>14)</sup> *De Sed. & Cauf. Morb.* Epist. XLVIII. Art. 39.

ad collum vesicæ apprimitur, ut omnis excretio urinæ naturalis adeo penitus præcludatur, ut inde in immensam magnitudinem absque tamen ruptura vesicam extensam fuisse, observatum legamus in Cl. REINICKE Dissertatione Inaugurali Anno 1732 GEDANI defensa; en observationem qualem nobis refert: *Fœmina per quatuor menses gravida onus tergo impositum gerens, pede ex improviso vacillante, alterius cruris difficii renisu vix grossum a lapsu sustinuit; domum deinde reversa statim conquerebatur dolore insigni circa lumbos & in regione pubis, & cum postea urinam excernere tentaret, nihil prorsus effluere observabatur. Varia ab experto Medico sed frustaneo penitus cum successu exhibebantur medicamenta, quippe per duodecim dies ne gutta quidem lotii fuit excreta, ut tandem atrocissimis ægra doloribus afficeretur, & venter nimium in modum extenderetur. Misera tandem sub intensissimis cruciatibus fato cedere coacta fuit. Abdomine aperto apparebat, vesicam in tantam molem fuisse extensam, ut ejus longitudine ad duos pedes se extenderet, & latitudo unum superaret pedem in diametro, cavitas veros ejus XX libras contineret. Vesica evanescuta in conspectum veniebat uterus justo profundius locatus, hærebat enim tertia fere ejusdem pars in ejus vagina uteri infixa, ita ut superius vagina corrugata vel potius inversa existeret, totus dein uterus lente protractus se triplo circiter majorem quam in statu ordinario adeoque omnino imprægnatum exhibebat.*

Similes uteri profunde demersi cum gravissimæ Ischu-

riæ affectibus observationes refert SMELLIE<sup>15)</sup>). Matrix etenim in pelvim magis demissâ corpore suo à fœtu intus contento adhuc magis descendit, vesicamque deorfum premendo pessimam urinæ retentionem inducit. Mox laudatus Auctor de muliere gravida annotat, quod plenaria urinæ retentione violentaque vesicæ extensione intensissimos experta fuerit dolores, quodque examine instituto matricem profundius locatam repererit quam alias esse solet. In alia iterum quinto graviditatis mense observabat fundum matricis retrorsum versus inferiorem vaginæ partem inclinatum, ejus autem orificium antrorsum & interne supra dextrum inguen positum. Collum simul & pars vesicæ inferior adeo comprimebantur, ut ægrota per plures dies nullam urinam emittere valeret. Ascendebat vesica usque ad cordis scrobiculum, ibidemque fluctuatio percipiebatur, uti in Ascite fieri solet.

Quodsi porro uterus ita prolapsus sit, ut etiam extra genitalia promineat<sup>16)</sup>, non raro secum rapit vesicam, ita ut pessimam progignat urinæ suppressionem. Matrix quo-

<sup>15)</sup> *Observat. sur les Accouch.* T. II. p. 147.

<sup>16)</sup> Licet nonnulli fuerint, qui uteri prolapsum in dubium vocare conati sint, eorum tamen, qui id affirmant, numerus tantus resque adeo confecta est, ut de ejus veritate dubitandi nullus amplius locus supersit. Vid. STALPART VAN DER WIEL Cent. I. Obs. 67. & 69. RUVSCHIUS *Thef. Anat.* VI. n. 63. verum uteri prolapsum iconem depinxit, & *Obs. Anat. Chir.* I. 7. 9. 24. 25. verum quoque uteri procidentiam & quidem ingentis magnitudinis exhibet.

que in pelvim magis demissa, corpore suo à foetu intus contento, adhuc magis descendit idemque malum producit. Incremente interim foetu magisque spatum sibi in utero eundem extentendo parante, non raro liberatur vesica, cessantque adhuc toleratae molestiae, nisi quidem ute-  
rus propendulo maxime & laxiore à repetito partu abdo-  
mine supra ossa pubis antrorum delabatur, unde nunc ma-  
gis à tenso afficitur peritonæ comprimiturque incumbente  
mole, ut impediatur libera urinæ excretio, atque ita  
catheteris applicatio reddatur difficillima<sup>17)</sup>; hinc quoque  
observationes prostant, vesicam hoc modo maxime di-  
stentam tumores in inguinibus vel in perinæ produxisse,  
veram nempe vesicæ herniam<sup>18)</sup> Græcis κυστοκήλη dictam;  
dum nimium pressa vesica descendit vulvamque inter &  
anum lotio turgens prominet.

#### §. VI.

##### *Vitia Mictionis in partu.*

Ultimo dein graviditatis tempore potiora omnino  
hæc mala sunt, dum deorsum nitens foetus caput repleta  
tota pelvi, vesicam maxime afficit; quem vel magnitudine  
rationem diametri pelvis excedit vel perverso situ immi-  
net: summa tunc partus tempore momenta sunt summa-  
que mala offert. Foetus etenim mole major, caput quo-

que

17) SWIETENIUS l. c. T. IV. p. 178.

18) Acad. des Sciences de Paris 1750. p. 48.

que ejusdem prægrande, uti hoc inter alia hydrocephalo laborantibus esse solet, naturali licet pelvis cavitate existente, hujus tamen angustias quum vix superare possit, omnia ibidem contenta lateribus adprimendo vesicæ maximas infert molestias, Fundus quippe anteriora versus si comprimitur, ejusdem cavum imminuitur, quod nunc urinæ retinendæ impar, ejus inducit incontinentiam, quodsi vero deorsum truditur, plenaria ejus sequitur retentio. Licet quoque foetus juste conformatus, in pelvi tamen angustiore hærens eadem mala excitabit; eodem etenim modo incuneato in pelvi capite, quando ejus præprimis utraque apertura, conjugata justo brevior est, vesicæ ostio ac sphinctere compresso, magna urinæ copia dilatatur, neglectaque ejus evacuatione foeti majorem trajectus difficultatem<sup>19)</sup>, perversum situm<sup>20)</sup>, aut summa sibimet incommoda, urgente nixu, junctis utriusque doloris augmentis, conciliat. Inter summas itaque merito curas obstetricantium hæc vesicæ evacuatio vel spontanea vel catheteris ope reponitur; aut si obtineri id vix aut difficillime queat, rumpi Amnios aquas cito, quam fieri

19) Partum vesicæ nimis distentæ vitio impossibilem describit LINARI Nov. Aël. N. 6. Append. p. 388, cui non nisi sectio cæsarea succurrere potuit. Cf. MAURICEAU *Traité des Malad. &c.* L. II. p. 260.

20) WALLEBAUM *Wahrnehmungen von schweren Geburten* p. 292.  
Die Harnblase kan auch mit Schuld an der Einklemmung seyn,  
wann sie nicht kurz vor der Geburt vom Harn entlediget ist.

possit, jubet DENYSIUS <sup>21)</sup>, ut contractior uteri moles  
vicinæ vesicæ spatum se exonerandi faciat.

### §. VII.

Variae vero hæ vesicæ mutationes atque inducta vitia sunt. Crassiorem & minimam annotat LITTRÉ <sup>22)</sup>; enor-  
miter dilatatam SMELLIE <sup>23)</sup>; maximum in molem exten-  
sam, solito tamen non tenuiorem, sed potius plus dupli-  
cione crassiores atque ex validis fibris carnosis con-  
textam REINICKE <sup>24)</sup>, qui id a copiosis vasis sanguiferis  
ad digitum crassitatem in observatione supra allegata repta-  
tum indeque nata abundante nutritione recte derivat. Pari  
etenim modo ac uterus post peractam conceptionem nunc  
sensim sensimque pro ratione foetus incrementi extendi-  
tur, sicque vasa ejusdem sanguifera alias tortuose admo-  
dum incedentia, nunc explicata, prolongata, majorem  
solito sanguinis copiam recipiunt, adeoque ex hac causa,  
licet distendatur, tamen crassior fit <sup>25)</sup>, ita & lotii rece-  
ptaculum à nimia ejus abundantia mirum in modum dila-

21) Cf. SWIETENIUS l. c. p. 292.

22) *Act. A. R. Sc. A.* 1708.

23) l. c.

24) *Dissertat. c.*

25) Qui enim id negant, contra experientiam negant, vel uteros  
magis exfuccos, perque hemorrhagias exsiccatos solummodo se-  
cuerunt. Cf. DEVENTER l. c. C. 8. & BOHNIUS *Circ. Anat.*  
*Phys. Prog. III.*

tatum, irritatum, inflamatum, sanguine nunc majori impetu affluente, crassius quoque evadere debet. Non autem solum uterum aut vesicam tali modo crassescere posse, sed & alia viscera, observata docent; MORGAGNIUS<sup>26)</sup> cordis mirum in modum magnitudine adacti pericardium reperit crassius ac durius, ventricorumque capacitatem cum extenuatione parietum, qui crassiores potius erant, non fuisse conjunctam. Quod vero uti supra annotatum LITTRÉ crassorem sed minimam observaverit vesicam, procul dubio ab urina acerrima derivandum erit, qua vesicæ fibræ ultra modum stimulatæ validissima sui contracitione cavum imminuendo, id minimum reddiderunt.

### §. VIII.

Quodsi autem vesica antea dicto modo in tam insignem extenditur molem, & fundo suo assurgit, variae tunc temporis tum in ipso hocce viscere tum & in reliquis abdominis contentis surgere debent mutationes, variaque simul molestissima frequentiusque infausta admodum symptomata. Vesica quippe fundo suo peritonæi membrana, quæ cum abdominalibus musculis texti cellulosi ope cohæret, firmiter nexa, dum sursum ascendens e sede sua naturali femovetur, secum sursum ducet hancce membranam, eandem ab abdominis musculis liberabit, novamque cum cellulofo texto pariter sursum solito altius pro-

26) Epist. XVIII. a. 34.

pagato subibit cohæsionem. MORGAGNIUS<sup>27)</sup> observatio-  
nem refert de muliere affiduo urinæ itillicidio laborante  
tandemque defuncta; ventre patefacto, apparebat vesica  
lotio maxime distenta, quæ anteriori sua facie alte supra  
pubem cum ventris parietibus coaluerat. Ipsi non minus  
ureteres simul & renum pelvis, vesicæ cavo nimis reple-  
to, secretam urinam in id exonerare quum haud valeant,  
renes interim suo officio fungi pergent, via nunc sibi præ-  
clusa, renum substantia ab urinoſo acriori latice inflam-  
mabitur, tandemque penitus consumetur, aut quoque  
id in massa humorum remanens innumeras excitare ibidem  
valebit calamitates; quumque & viscerum horum mem-  
branæ insigni gaudeant fenibilitate, intensissimis quoque  
atrocissimisque doloribus non raro & dirissimis convulsio-  
nibus corripient ægrota, ideinque fatum extensione, di-  
ftractione, compressione experientur & reliqua abdomi-  
nis contenta; septum non minus transversum à vi sursum  
urgente haud libere amplius descendere quum valeat, in  
thoracis cavitatem altius penetrando, pulmonesque com-  
primendo summam spirandi difficultatem, difficilem san-  
guinis per hocce organon trajectum & innumera alia in-  
ducet mala funestissima. Hanc porro vesicæ nimiam dila-  
tationem facile cum fibrarum atonia, paralyſi, conjun-  
gi posse, tum observata tum & ipsa ratio docent; quæ-  
vis etenim muscularis fibra determinatam quum habeat  
elasticitatem, ultra modum perque longius temporis spa-

---

27) I. c. Epist. XXXIX. a. 33.

tium extensa eandem amittere siccque paralyssi affici debet, cuius morbi effectus is dein erit, ut compressa alicubi, alibi in cornua quasi & farcimina, disparatis fibrarum intervallis, dehiscat, variaque herniarum genera, vel per annulos abdominales, vel vaginam inter & intestinum rectum constituat, tumore in perinæo relicto <sup>28)</sup>, qui compressus, evacuata urina, evanescit, urina retenta redit, saeppe ipsius vaginæ prolapsum mentitur; molestum omnino malum, quod jam aliquoties observatum fuit <sup>29)</sup>; facile quoque patet, si hernia vesicæ inter vaginam & intestinum rectum protendatur, talem tumorem, vaginam comprimendo, angustare posse ejus cavum: RUY-SCHIUS <sup>30)</sup>, ad mulierem in partu versantem vocatus, quæ à conatibus vehementioribus incidit in tumorem durum minoris pugni magnitudine, idque solummodo in latere dextro vulvæ, prima fronte placentæ uterinæ portionem esse credidit, re autem penitus investigata, veram uteri lateralem portionem esse deprehendit, foetu enim in lucem edito, statim ad naturalem redit locum, patientique convaluit sine ulla ulteriori fomentatione, qua usus fuerat in partu, ne pars uteri prolapsa gangrænam conciperet.

28) Vid. §. V.

29) BONNET *Sepulch.* T. III. p. 39. LEVRET. *Ad. Acad. Chir.* T. III. p. 528.

30) *Observat. Acad. Chirurg. Obs. XXIV.*

## §. IX.

Alii a concitata in tunicis vesicæ inflammatione plus minus gravi, effectus sunt; diutius etenim foetus capite in pelvis angustiis hærente, vesica adeo graviter comprimi potest, ut liber per ejusdem vasa sanguinis circulus impediatur, dum per venas ob compressionem redire nescius, in minimis arteriolis subsistens, ibidem accumulabitur, pessimumque non raro inducet inflammationem, quæ nisi feliciter resolvatur in suppurationem <sup>31)</sup> aut lethalem abibit gangrænam. Non minus & chronicas calamitates inferet urina diutius in suo receptaculo hospitans, quæ ex sua natura stagnando accerrima reddita, sensiles admodum vesicæ tunicas irritando, erodendo, pessime afficit; quorsum illa tunicæ ultimæ separatio atque summa inter tormenta facta cum lotio excretio pertinet, cuius observationem curationemque à BOERHAAVIO præstitam describit KOCH <sup>32)</sup>. Aliud iterum malum à vesicæ ruptura derivandum, quam à nimia à collecto lotio distensione sensim subit; qua effusa in pelvem urina partium inflammations & gangrænas lethales excitat. Exemplum ruptæ prope urethram in latere dextro ad pollicis spatiū vesicæ refert PARSON <sup>33)</sup>. Similem in fundo rupturam lethalem describunt

31) Magnam puris copiam annotat SMELLIE T. III. p. 463.

32) *De Adfectu in Libris & Praxi rarissimo.* Vol. IV. HALL.  
Præct.

33) *Von der Harnblase.* p. 183.

LONDINENSES<sup>34)</sup>; cum situs uteri retrorsum obliquatus, fundum vaginam inter & intestinum rectum reclinatum, os uteri versus ossa pubis conversum exhiberet, ut catheteris applicatio impossibilis redderetur: aliam addunt similem mortis causam<sup>35)</sup>, licet sub partus tardiore successu nulla retentæ urinæ signa animadversa fuerint, aut neglecta potius. SWIETENIUS<sup>36)</sup> tristia & vix medicabilia mala refert: *Post difficilem admodum partum mulieri effuebat urina, cum erecto corpore incederet, præter voluntatem, non sine dolore acerrimo, ardore & fætore, instituto diligenter examine patuit, vesicæ partem inferiorem versus latu ruptam & rupturæ labia callo jam obducta esse; cum autem portio urinæ inter vesicam & vaginam in tunica cellulosa colligeretur, mora acrior reddita erosit vicina, unde exulceratio sequebatur & urina assidue purulenta excernebatur.* Sæpe quoque annotante BONNETO<sup>37)</sup>, in laborioso partu adeo distenditur vesica ex retentione urinæ, dum foetus in orificio uteri diutius hæret, ut post ejus egressum urina effluere nequeat; & ea educta per catheterem summa postea remaneat imbecillitas, Ichuriæ lethalis causa.

34) *Bemerkungen der Aerzte in Londen.* Part. IV. Art. 37.

35) Lib. cit. Part. IV. Art. IV.

36) L. c. p. 528. Cf. STALPART VAN DER WIEL Cent. I. Obsr. 8.

37) *Sepulch.* L. III. S. XXIV. Obsr. XIX.

## §. X.

*Vitia Mitionis post partum.*

Ex dictis nunc facile apparent & illa hujus excretionis vitia, quæ à partu aliquando supersunt. Ut enim partes genitales externæ, intestinum rectum, vagina atque uterus sub laborioso partu, quando præcipue caput, scapulæ, clunes vel quæcunque alia foetus pars diutius incuneata hæsit, fœtu licet denique excluso, facillime tamen inflammationem suscipere possunt, ita urethra cum vesica huic malo sub dictis rerum circumstantiis obnoxia esse debet, unde molestissima mala sequi solent. RUY-SCHIUS<sup>38)</sup> de puerpera refert, *quod acerbissimis excruciatæ fereque enecta fuerit in ventre doloribus; vocatus exhibitis prius incassum lenientibus remedis, catheterem tandem immisit in vesicam, profiliebat extemplo immensa lotii vis, simulque doloris lenimen sibi gratulata fuerit miserrima ægrotans; post paucos dies elapsos membrana occupabat meatum urinarium, quæ apprehensæ, facile educebatur; hujus mali causam Celeberrimus Vir in vesicæ inflammatione querit, quæ in gangrænam superficiariam exiverit. Imo & inflammatio, quæ mox dictas partes tenet, vesicam ipsis quippe contiguam in pessimum sui consortium rapiet, eodemque malo afficit. Quodsi autem hæcce vesicæ compressio ad eo*

---

<sup>38)</sup> *Advers. Anat. Dec. II - IX.*

eo valida fuerit, ut omnis sanguinis circulatio intra ejusdem vasa intercipiatur, præter confusa inflammationis symptomata, febrem magnam, calorem ingentem, pulsus durum, dolorem ardente in regione hypogastrica tunc præcipue sœvientem, vomitus, convulsiones, delirium, hocce viscus quoque pericitatur corruptione, qua puerpera plerumque subito rapitur ē vivis<sup>39)</sup>.

Non minus quoque, quando vagina in eo loco, quo posteriori atque inferiori colli vesicæ parti adhæret, diutius validiusque compressa fuerit, hæcce corruptio quoque ad hujus visceris tunicas se propagabit, hisque exfoliationem fuscipientibus, urina per eundem locum viam fibi parabit, simulque orificii conglutinationem impediet. Dum porro inflammatio ibi nata in suppurationem & abscessum transit, facilis, eorupto, urinæ via per vaginam paratur, cum gravissimis per totam vitam relictis incommodis. MAURICEAU<sup>40)</sup> observationem dignam quæ hic apponatur sequentibus verbis describit: *Je vis une femme accouchée depuis deux mois de son premier enfant, qui avoit un continual écoulement involontaire de l'urine, qui venoit d'une fistule, qui lui étoit restée après la suppuration d'une partie du col de la vessie, où il y avoit un trou, à y introduire le petit doigt, cet accident ne lui étant vraisemblablement arrivé, que par la mauvaise conformation de son*

39) SMELLIE l. c. T. I. p. 409.

40) *Obſcrv. ſur la Grosseſſe.* Obſ. 577.

corps, & par la grosseur de la tête de son enfant, qui ayant fait une très-violente compression du col de la vessie, il y étoit surveuu une inflammation, qui fut suivie d'une pourriture, qui ayant causé une grande perte de substance en cette partie, y avoit fait en même temps cette fistule, que je jugeai entièrement incurable à cause de sa grandeur. Ipsa quoque rudi manuum tractatione ineptaque instrumentorum applicatione vesica adeo dilacerari valet, ut urina per vulnus inflictum exeat, in pelvis cavum effundatur, ibidemque stagnando pessima mala inducat.

## §. XI.

Sub partu difficiili quando foetus caput per longius temporis spatium in vagina incarcерatum fuit, post partum contractus uterus adeoque in pristinum volumen redactus, imo & serius post plures septimanas imo & menses, peritonæo simul & ligamentis, quæ illum in situ suo retinent, nimium prolongatis, relaxatis, sensim sensimque externum orificium dilatat atque vagina involutus prolabitur. Idem malum surgit post incessum protinus à partu, pelvim in apertura sua inferiori justo ampliorem, violentiorem placentæ protractionem; in hoc casu vesica simul e sede sua movetur, inferiora versus cum utero trahitur, comprimiturque, ut ita urina libere effluere nequeat, vel penitus ab exitu prohibeatur, & ita Ischuria nascatur.

Sanguis porro, qui sub Lochiorum nomine post partum effluere solet, ipsæ quoque secundinæ, uterino ostio spasmus affecto, seseque confessim à partu constringente, intra matricis cavitatem si retinentur, eadem miram in molem ampliatur, turgetque, ut sua distensione vesicam comprimat, incommodet & ita urinæ difficultatem, vel & ipsam ejus incontinentiam inducat.

## §. XII.

Incrassata quoque à diurniore ab utero pressione minusque capax vesica perpetuos urinæ paucæ stimulos facilemque evacuationem infert, quæ ad incontinentiam urinæ referri possit: Indurata porro ex dictis causis atque hinc inde scirrhosa vesica atque urethra urinæ incontinentiam simul & ejus retentionem procreare valebit; duri enim urethræ parietes constringi nequeunt, ut vesicæ orificium satis occludatur; duri itidem maxima ex parte vesicæ parietes contrahi non possunt; ut urina excludatur <sup>41)</sup>.

Ea quoque in fibris vesicæ non raro relinquitur atonia, ut à parte sæpe dolor abdominis ad ossa pubis diffidillimus supersit, qui observante SMELLIE, re penitus examinata, ad retentionem urinæ, quam excretam cum fluentibus Amnii aquis credunt, & confundunt, pertinet.

A nimia denique vaginalè distractione, atonia ac quaëdam inducitur Paralyfis, unde urinæ incontinentia, quod

---

<sup>41)</sup> MORGAGNUS Epist. XXXIX. Art. 34.

vitium quandoque per dies aliquot & septimanas superesse  
folet, saepeque sponte corrigitur. RUVSCHIUS<sup>42)</sup> de partu  
mirabili, in quo insolita viarum clausura aderat, refert,  
quod foetus capite ob præclusum exitum, diutius in va-  
gina remanente, urinæ incontinentia supervenerit, ob  
immanem quippe ac diuturnam vulvæ entensionem.

---

42) l. c. Obs. XXII.

T A N T U M.



VD18


**ULB Halle**  
007 470 061

3





B.I.G.



Q. D. B. V.

ERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**TITIS MITIONIS  
EDARUM PARTURIENTIUM  
ATQUE  
PUERPERARUM**  
QUAM  
CONSENTIENTE  
STRI FACULTATE MEDICA  
**RO LICENTIA  
JM MEDICINÆ DOCTORIS**

LEGITIME IMPETRANDI

XXIX. NOVEMBRI A. MDCCCLXXX.

SOLEMNITER DEFENDET

**NNES CONRADUS RISS**  
ARGENTINENSIS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI  
at JOH. HENRICUS HEITZ, Academiae Typ.